



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Svscriptiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

ANNO
CHRISTI
374

monum, vel incesta lauatione polluerint, eam cen-
suræ formam duximus esse seruandum, vt his iux-
ta Synodum Nicænam satisfactionis quidem adi-
tus non negetur, ne infelicibus lacrymis vel solatii
ianua desperatione claudatur: acturi vero pœni-
tentiam vsque in diem mortis, non sine spe tamen
remissionis, quam ab eo plene sperare debebunt,
qui eius largitatem & solus obtinet, & tam diues
misericordia est, vt nemo desperet. Deus enim
mortem non fecit, nec latatur in perditione vi-
uorum.

Synodus
Nicæna
cap. 11.

IV.

Nec illud, fratres, scribere alienum ab ecclesiæ
utilitate censuimus, vt sciretis, quicumque se sub
ordinatione vel diaconatus, vel presbyterii, vel e-
piscopatus, mortali crimine dixerint esse pollutos,
a supradiçtis ordinationibus submouendos, reos
scilicet vel veri confessione, vel mendacio falsita-
tis. Neque enim absolui in his potest, quod di-
ctum in alios puniretur: cum omnis qui sibi fue-
rit mortis causa, maior homicida sit. Diuina vos
pietas in æternum custodiat, fratres dilectissimi.

SVBSCRIPTIONES.

Ego Florentius episcopus ecclesiæ Viennensis subscripsi.
Ego Æmilianus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Eumerius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Artemius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Euodius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Antherius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Rhodanius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Chrestus episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Neoterius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Vrbanus episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Paulus episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.

Ego Simplicius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
 Ego Iustus episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
 Ego Eortius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
 Ego Britto episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
 Ego Concordius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere. eodemque modo & alii deinceps subscripserunt.

EPISTOLA EIVSDEM CONCILII
 AD CLERVM ET PLEBEM ECCLESIE
 FOROIVLIENSIS.

Dilectissimis fratribus, clero & plebi ecclesie Foroiuliensis, Fagadius, Eumerius, Florentius, Artemius, Aemilianus, Britto, Iustus, Euodius, Rhodanus, Eortius, Chrestus, Constantius, Paulus, Concordius, Antherius, Neoterius, Nicetius, Urbanus, Felix, Simplicius, & Vincentius, episcopi in Domino salutem.

QUAMVIS ram ea benedictus frater noster Concordius de sanctissimi Accepti persona suggesserit, quæ prudenti & Christiano viro digna sunt, quam quod studio omnium vestrum ad honorem sacerdotii poscatur, edixerit: tamen quia in Synodo iam federat, ordinationes huiusmodi submouendas, quæ sine scandalo esse non possunt; non potuimus præstare vni quod ceteris negabatur. Et licet non ignoraremus, multos verecundia, & nonnullos suscipiendi sacerdotii metu trepidos, quæ vtique signa sunt sanctitatis, falsa in se reiiciendi honoris causa dixisse: tamen quia omnium fere ad ea quæ sunt peiora proclive iudicium est, & materies disputationum ex obtreptione sacerdotum Dei quæritur; sedit in Synodo, vt quisquis de se vel vera vel falsa dixisset, fides ei, quam suomet testimonio confirmaret, haberetur. Quapropter decretum est submouendos protinus esse ab eo gradu, quem ab omni scandalo liberum esse decet. Diuina vos pietas in æternum protegat, fratres dilectissimi.

Canon. 4.
 huius Concilii.

DECRETA